AUGUSTINUS

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh. Seite 131r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Istos magni Psalmi huius versus confidandos nec suscepimus atque tractandos.
Feci iudicium et iusticiam ne tradas me nocentibus me. Non mirum est eum fecisse
iudicium et iusticiam qui superius poposcerat a timore dei utique casto configi clauis car
nes suas. hoc est carnales concupiscentias. quae solent quo minus rectum sit nostrum impedire
iudicium. Quamuis autem siue rectum siue paruum in nostri sermonis usu iudicium nuncu
petur. unde hominibus in euangelio dicitur. nolite iudicare personaliter. sed rectum iudicium iudi
cate. tamen hoc loco positum ita est iudicium. tanquam si rectum non fuerit non debeat iudi
cium nominari. Alioquin non sufficeret dicere feci iudicium. sed diceretur feci rectum iudi
cium. Hoc genere locutus est dominus ihesus ubi ait. Reliquistis grauiora legis. iudicium et misericordiam
et fidem. Et hic enim iudicium sic positum est. tanquam non sit iudicium si perversum est. Et
multis diuinarum scripturarum locis ita ponitur. quale illud est misericordiam et iudicium
cantabo tibi domine. et illud apud ysaiam. exspectaui ut faceret iudicium. fecit autem
iniquitatem. non ait exspectaui ut faceret iudicium iustum. fecit autem iniquum. sed tanquam
ideo iam iudicium sit quod iustum est. nec sit iudicium quod iniustum est. Iusticia uero non solet di
ci bona iusticia uel mala iusticia. sicut aliquando dicitur bonum malum ue iudicium. sed
eo ipso iam bona est. quia iusticia est. Sic ergo habet consuetudo loquendi ut dicatur et bo
num iudicium et malum iudicium. quemadmodum habet ut dicatur. et bonus iudex et ma
lus iudex. Sic autem non dicitur bona iusticia uel mala iusticia. sicut non dicitur bonus iustus et
malus iustus. quia continuo bonus quisque si iustus. Iusticia ergo uirtus est animi magna.
precipueque laudabilis. de qua nunc non est copiosius disputandi necessitas. Iudicium uero
quando non nisi in bono ponitur. distinctior loquendi ratio huius uirtutis est operatio. Qui
enim habet iusticiam recte iudicat. immo secundum istam locutionem qui habet iusticiam iudicat.
quia nec iudicat. si non recte iudicat. Iusticie nomine hoc loco non ipsa uirtus. sed opus eius
significatum est. Quis enim in homine fecit iusticiam. nisi qui iustificat impium. hoc est per gra
tiam suam ex impio facit iustum. Unde ait apostolus. Iustificati gratis. per gratiam ipsius.
Facit ergo iusticiam id est opus iusticie. qui habet in se iusticiam. id est opus gratie. Feci inquit iu
dicium et iusticiam. ne tradas me nocentibus me. id est feci iudicium rectum. ne tradas
me illis qui propterea me persequuntur. Nam et quidam codices habent. ne tradas me persequenti
bus me. Quod enim graece dictum est toestandycyis yn. quidam interpretati sunt nocentibus. quidam
persequentibus. Miror autem omnium quos in promptu habere potui codicum. nunquam me legisse
aduersantibus. cum sine controuersia quod graeci antidicos dicunt. hoc latine aduersa
rius appellatur. Orans itaque ne tradatur a domino aduersantibus suis. quid orat nisi quod oramus
cum dicimus. ne nos inferas in temptationem. Aduersarius enim est de quo dicit apostolus. ne for
te temptauerit uos is qui temptat. et ei tradit deus quem deserit. Et cum quippe ille non decipit
quem iste non deserit. in uoluntate sua prestans decori hominis uirtutem. Ab il
lo autem qui dixerat in habundantia sua. non mouebor in eternum. auertit faciem suam. et